DE ACTIBUS ET SCENIS

apud Plautum et Terentium

dissertatio prima, in qua

DE ACTUUM RATIONE IN UNIVERSUM

disserere conatus est

---

et ad

Examen

in Lyceo Gubenensi

a. d. XVI. Nov. MDCCCXIII

hora nona habendum

invitat

M. Godofredus Augustus Benedictus Wolff

Gubenae
officina Brückneriana.

Anton

Benevolus lector veniam det his verbis.

Hoc ipso die, quo libellus hic in eo est, ut ex typographi manibus prodeat perfectus, Lipsia mittitur tandem ad me *Hermanni*, Viri Celeberrimi et Doctissimi, *de cantico in Romanorum fabulis scenicis dissertatio* 4. Lips. 1811; quam, etsi paullo incertior de titulo, plus abhinc duos hos menses, cursu publico per bellum interrupto, nequidquam litteris petieram. Id quod sciant volo lectores, ne gravius mihi irascantur, ejusmodi libellum nusquam commemoranti. Ipse admodum doleo, praesertim quum hac commentatione, tantum absit, ut a mea sententia *de cantico* pag. 15 et 16 depellar, ut, quamquam hic illic a me dissentitur, certior evaserim. Ceterum, quod pag. X lin. 17—20 dicit Herm., *cantica* distinguere, apud Plautum esse facilius, quam apud Ter., id ipse jam expertus eram, animumque induxi, de hac re alio tempore loqui.

Sub finem Terentii, quem Bothius, Vir Doctissimus, Berolini edendum curavit, pag. 616 libellus exstat *de actuum et scenarum ratione in Plauto et in Terentio.* Laetus in has paginas incidi; nam sperabam, molestiores hujus rei difficultates solutas me ibi esse inventurum. At spes me fefellit. Postquam enim de actibus eorumque lege pauca tantum eaque verbotenus ex prolusione Boettigeri, Viri inter antiquarios facile principis, *de quatuor aetatibus rei scenicae apud veteres*, scripta sunt, de scenis autem plane nihil, neque a Bothio, neque a Boettigero commemoratum est: ea, quae dein sequuntur, etsi cum actuum usu cohaerent, neque prorsus silentio praetermitti poterant, multo tamen magis, sive Boettigerum, a quo libellus initium sumit, sive Bothium, qui ad illius Viri Summi sententiam pauca addit, spectaveris, ad Terentii, quas dicunt, didascalias pertinent; ita ut, inscriptioni qui satisfactum sit, haud intelligam. Quae cum ita sint, quoniam (Boettigeri verba premo) omnis actuum et scenarum ratio in Plauto et Terentio tam difficilis est, ut et antiquitus et hodie adhuc

plurimis agitata sit controversiis, non ab re duxi, in hoc libello, qui, ut a litterarum studiis occasio est ejus scribendi, ita doctius institui debet, totam hanc rem paullo accuratius pro viribus meis perscrutari. Utinam contigerit, si non omnino, certe aliquatenus obscuritatem ex hoc litterarum χωρίῳ dispulisse. Neque si votis responderet eventus, rem me fecisse judicarem ab omni utilitate et fructu alienam. Quis enim neget, ad plures locos recte interpretandos, ad personarum verba et negotia bene intelligenda, ad rerum et actionis dispositionem, tempora et spatia penitus perspicienda multum facere, si cognitum sit, ubi actus finiri et inchoari debeant, ubi falsa hactenus fuerit divisio, et quae inde orta sint vitia interpretationis? De scenis autem, etsi neque antiquitus ortas, neque majoris momenti in legendis fabulis eas esse probare conabor, tamen id ipsum quibus ex rationibus atque caussis contendi possit, accuratius examinasse, operae pretium esse videtur. Ceterum ante monendi sunt lectores, me in laudandis locis Terentio a Bentlejo, et Plauto a Taubmanno Witteb. 1612 edito usum esse.

Sed a Terentio initium hujus disputationis capiendum esse, quisque facile, opinor, concedet, qui cogitaverit, hujus comici interpretem satis bonum superesse Donatum, qui ex omnibus, qui de actibus faciunt mentionem, antiquioribus scriptoribus plurima simulque clarissima profert. Hoc igitur duce, quod bene jam Boettigerus, Vir. Celeb., fecit, videamus, quid de Terentii actibus sit statuendum;

quo

quo facto, de Plauto quoque inquirere licebit, Donati regulae et praecepta utrum etiam hic servata sint, nec ne. Neque est, cur excusem, quod prius de actibus verba faciam fusius, et quam latissime; de scenis deinceps multo brevius et contractius. Scenae enim non modo actuum constitutione nituntur, verum etiam, ut supra jam tetigi, antiqua carent auctoritate et facile omitti possunt.

Donatus vero, quamquam ipse, ut alii jam viderunt, ex variis, qui ipso antiquiores fuerunt, ad magnam partem, quae profert, ita hausisse videtur, ut hic illic plura confuderit et judicium laturis effecerit difficultatem, tamen tum ad res antiquas perdiscendas, tum ad genuinam lectionem enucleandam mirum quantum saepe prodest et conducit; sicut identidem Bentlej. ad Terent., Lessing. in dramat. notârunt. Itaque etiam de actibus plures exstant apud ipsum loci, unde, qualis lex eorum fuerit de initiis finibusque, sic satis intelligi potest; quamquam negari nequit, etiam in his locis Donatum non ubique sibi constare; nisi a librariis quoque hic illic peccatum sit. Sed liceat in singulos inquirere locos.

Actuum divisionem jam antiquitus in usu fuisse, testes sunt partim Donatus, in argum. Andr. sub fin.: „nihil ergo sequius factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diviserunt"; in praefat. ad Adelph.: „a doctis veteribus (actus) discreti et disjuncti sunt." cf. argum. ejusdem fabulae sub fin.; et in argum.

 Hecy-

Hecyrae, ubi Varronis dicta de actibus laudantur; partim antiqui ipsi, ut Horat. art. poet. 189 „neve minor, neque „sit quinto productior actu"; Terent. prol. Hecyrae altero 31 et Cicer. de senect. 19.

Quid vero actus sint, id clarissime patet ex Don. argum. in Andr., ubi haec leguntur: „Divisionem actuum „in latinis fabulis internoscere difficile est. Causam jam„dudum demonstravimus. Unde autem, aut quomodo, „quamvis aegre, tamen intelligi distinguique possint, est „operae pretium dicere. Principio dicendum est, nullam „personam egressam quinquies, ultra exire posse. Sed illa re „plerumque decipimur, quod personam, cum tacuerit, „egressam falso putamus: quae nihilominus in proscenio „tacens, loquendi tempus exspectat. Est igitur attente „animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omni„bus personis: ut in ea chorus vel tibicen audiri possit; „quod cum viderimus, ibi actum esse finitum debemus a„gnoscere. Confundit saepe lectorem id, quod persona in „superiori scena desinens et in proxima incipiens loqui, „non intelligitur ingressa (ut Terent. Eunuch. 2, 1; 5, 1; Heautont. 2, 1; 5, 1.). „Quod ipsum experientes statim „dijudicant de rerum ac temporum quantitate. Potest „enim fieri, ut et sit ingressa ac egressa, quam prave credimus de „proscenio non recessisse. Posse autem quinto egredi perso„nam, non et necesse esse dicimus: ut appareat, ultra „exire non posse." Quod dicit, „jam dudum demonstra„vimus," cum locus, ubi id demonstratum est, nusquam in

in Donato inveniatur, bene contigit, ut Evanthius saltem ipsi aequalis in comment. de tr. et com. de eadem re disserens attulerit causam, cur actus in fabulis internoscere sit difficile; quam causam eandem cum Donato esse hoc facilius judicaverim, cum inter hunc Evanthii locum alium que Donati summa sit similitudo, ut conjicere liceat, ex uno fonte utrumque locum esse haustum. Verba in media Evanthii comment. sunt haec: „comoedia vetus, ut „ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero 1) „in quinque actus processit: ita paulatim velut attrito atque

1) Ita in Plauto non minus quam in Terentio ad summum quinque in scena versantur simul inter se vere colloquentes personae; sciendum tamen, apud Plautum per mutas personas hunc numerum hic illic excedi, ut per lorarios, Rud. 4, 4, 7; Men. 5, 7; Pseudol. 1, 2; Capt. 2, 1; per advocatos Poenul. 3, [illegible] in Mostell. [illegible] personae ex inscriptione in scena versantur; at puer, omnibus, praeterquam Tranione, egressis, in scenam demum prodit vs. 73. Neque multo aliter in Eunuch. Ter., cujus pars ulterior est, quam dicunt, motoria, de 4, 7 statui oportet. Nam ibi octo quidem personae in scena sunt; sed primum plures earum sunt mutae, ut Simalio, Donax, Syriscus, tum, non, sicuti credi possit, primum a Thrasone cum satellitibus, deinde a Thaide cum Chremete verba fiunt, sed simul eodem tempore duplex, unum inter Thrasonem et satellites, alterum inter Thaidem et Chremetem est colloquium; qui mos de duplici colloquio alibi quoque et in Plauto et in Terentio invenitur. Notandum, a Diom. Grammat. lib. 3 in comment., „quid intersit inter com. et trag." dici, ad summum quatuor in diverbiis esse debere personas, ultra augere numerum non licere; quo etiam severior est Horat. art. poet. 192 „nec quarta loqui persona laboret."

„que extenuato choro“ (i. e. chori officio, dignitate pretioque magis magisque diminuto) „ad novam comoediam „sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, „sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro 2). „Nam postquam otioso tempore, fastidiosior spectator ef„fectus tunc, cum ad cantores ab actoribus fabula transi„bat, consurgere et abire coepisset: admonuit poetas, „primo quidem choros praetermittere, locum eis relin„quentes: ut Menander fecit, hac de causa, non, ut alii „existimant, alia. 3) Postremo ne locum quidem reliquerunt:

---

2) Dicit igitur Evanth., sensim actus in unum coivisse, ut inter singulos nullum prorsus interjiceretur spatium, neque eorum reperirentur vestigia. Quod etsi jam, ut hic id modo tangam, in priori quidem Andriae parte deprehenditur, tamen, cum haec sola istius negligentiae in solo Terentio sint vestigia, Evanthius autem et alio in loco, quem modo allaturus sum supra, etiam Donatus de hac, in actus dividendi, incuria tanquam de praesenti vitio loquatur, equidem de verbis ita judicaverim, licentiam istam, actus spernendi, cadere in comicos, qui a Terentio inde scripserunt, et deinde per ipsam hanc negligentiam etiam Plauti et Terentii fabulas postremis rei dramaticae temporibus, ubi quam maxime omnia pessum in ea ruebant, ita hic illic esse editas, ut, etsi erant in his spatia inter actus constituta, ea tamen aut prorsus non, aut alieno certe loco servarentur. Unde concludi deberet, et ab Evanthio et ab Donato de temporis ratione non satis distincte esse scriptum. In Sulzero autem, Allgemein. Theorie der sch. K. Neue vermehrte zweite Aufl. Leipz. 1792. 8. tom. I. p. 522. justo maturius comoedia (de trag. vid. Q. Ennii Medea comm. perpet. illustr. cum fragm. etc. auct. Planck. Goetting. 1807, 4. p. 47.) a theatro Romanorum removetur.

3) Alii enim putant, chorum e comoedia Graecorum cessisse, quod, licen-

„runt: quod latini fecerunt comici; unde apud illos diri„mere actus quinquepartitos difficile est.“ Haec habet Evanthius; quocum egregie consentit alius Donati locus, quem, ut similitudo appareat, statim apponere liceat, argum. Adelph.: „Haec etiam (fabula), ut cetera hujus„modi poemata, quinque actus habeat necesse est, choris „divisos a Graecis poetis. Quos etsi retinendi causa jam „inconditos spectatores minime distinguunt Latini comici, „metuentes scilicet, ne quis fastidiosus finito actu, velut „admonitus abeundi, reliquae comoediae fiat contemtor et „surgat: tamen a doctis veteribus discreti atque disjuncti „sunt.“

Sed ut redeamus ad locum Donati ex argum. Andr., addit grammaticus, *nullam personam quinquies egressam ultra exire*, et ad hanc regulam solide confirmandam, idem, quamquam minus concinne et latine, subjicit: „posse au-

---

licentia comoediae veteris per leges publicas coercita, ditiorum nemo pecuniam amplius et sumtus necessarios cantoribus chori solvere voluerit; quod sane a Platonio grammatico περὶ διαφορᾶς τῶν παρ' Ἕλλησι κωμῳδιῶν innuitur. Evanthius vero causam chori a Men. omissi a spectatorum fastidio repetit. Haud dubie enim chori carmina valde negligebantur neque arctiore, quod maximi erat momenti (Horat. de art. poet., 194 cf. Hermann. Aristot. de art poet. p. 269.), cum ipsa fabularum actione cohaerebant vinculo, cujus negligentiae reus ipse reperitur Euripides. Aristophanem etiam in fabula, quae inscripta erat Aeolosicon, choro abstinuisse, exstant vestigia; cf. doctissimum libellum Viri Celeberrimi Eichstaedtii de dramate comicosatyr. p. 15 et p. 72.

„autem quinto egredi personam, non et necesse dicimus; „ut appareat, ultra exire non posse." An verum id? Video servatam hanc legem magis in Plauto, quam in Terentio, apud quem in omnibus paene fabulis migratur; neque videas, quomodo valeat ubique cautio a Donato monita; „ne personam, quae nonnisi tacuerit, egressam „putemus;" licet haud negem, eo hic illic lectorem falli posse, ut Phorm. 4, 1, 24 — 4, 3, 5, ubi Demipho continuo in scena manet non loquens, et Eunuch. 5, 6, 23—5, 8, 4, ubi Parmeno per plures scenas in proscenio manet; idem tamen abit 3, 2, 42. Sed amplius quinquies scenam ingredi personas, satis superque ex Terentio ostendi potest. In Andr. Davus sexies in scena versatur: 1) 1, 2, 1—1, 3, 22; 2) 2, 2, 1—3, 2, 43; 3) 3, 4, 1—4, 2, 32 „jam inquam hic adero"; 4) 4, 3, 6—4, 5, 24; 5) 5, 2, 1—5, 2, 25; 6) 5, 6, 1. In Eunuch. Pythias ancilla adeo septies scenam ingredi dici potest, siquidem intromissam a domina 4, 6, 16, neque multo post cum cistella in scenam redeuntem statimque iterum decedentem memorare hic licet; sin minus, sexies certe in scenam ingreditur, 1) 3, 2, 47—3, 2, 53; 2) 3, 3, 25—3, 3, 32; 3) 4, 3, 1—4, 6, 16: 4) 5, 1, 1—5, 3, 13; 5) 5, 4, 19—5, 4, 48; 6) 5, 6, 1—5, 6, 22. In Heautont. sexies in scenam progreditur et Chremes. 1) 1, 1, 1—1, 2, 37; 2) 3, 1, 1—3, 2, 47; 3) 3, 3, 1—4, 1, 54; 4) 4, 5, 1—4, 5, 56; 5) 4, 7, 1—4, 8, 31; 6) 5, 1, 1; et Ctesipho 1) 1, 2, 1—1, 2, 38;

2) 2, 1, 1—2, 3, 139; 3) 3, 3, 1—3, 3, 29; 4) 4, 6, 1—4, 7, 4; 5) 5, 2, 1—5, 2, 43; 6) 5, 4, 1. In Adelph. tum Micio, tum Syrus sexies ingrediuntur; ille 1) 1, 1, 1—1, 2, 74; 2) 4, 3, 1—4, 3, 18; 3) 4, 5, 1—4, 5, 72; 4) 4, 7, 1—4, 7, 39; 5) 5, 3, 1—5, 3, 68; 6) 5, 8, 1; hic 1) 2, 2, 1—2, 4, 22; 2) 3, 3, 7—3, 3, 80; 3) 4, 1, 1—4, 2, 52; 4) 5, 1, 1—5, 2, 11; 5) 5, 5, 1—5, 7, 18; 6) 5, 9, 1. Pariter, atque in Eunucho Pythias, Demipho in Phorm. sexies introit scenam, 1) 2, 1, 1—2, 1, 84; 2) 2, 3, 1—2, 4, 22; 3) 4, 1, 1—4, 3, 73; 4) 4, 5, 1—4, 5, 15; 5) 5, 2, 1—5, 2, 12; 6) 5, 3, 1—5, 3, 36; 7) 5, 8, 1. In sola Hecyra nulla persona plus quinquies scenam intrare reperitur. Neque tantum a Terentio ista lex Donati exceditur, verum idem etiam in Plauto deprehenditur; quamquam is, gravior in dictione et stylo comico, minus delectationi spectatorum, quae ex frequentiori personarum mutatione oritur, prospexisse videtur, ita ut omnino minus saepe hic, quam in Terentio, personae ingrediantur. Itaque septies nonnisi in Persa ingredientem invenimus Toxilum: 1) 1, 1, 1—1, 1, 53; 2) 1, 3, 1—1, 3, 87; 3) 2, 2, 1—2, 2, 16; 4) 2, 5, 1—2, 5, 27; 5) 3, 3, 1—3, 3, 43; 6) 4, 1, 1—4, 8, 7; 7) 5, 1, 1—5, 7, 24. Nihili igitur aestimetur Donati regula, haud dubie orta ex quinario numero actuum et personarum, quae ad summum quinque simul in scena versantur.

Quod porro praecipit Donatus: „est igitur attente

ani-

„animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omni„bus personis: ut in ea chorus, vel tibicen audiri possit; „quod cum viderimus, ibi actum esse finitum debemus „agnoscere," quoad chorum ut recte jam Boettiger., Vir rerum antiquarum longe doctissimus, monuit, ad veterem scenae Atticae consvetudinem referendum est. De *tibicine* autem quae dicit Grammaticus inter actum et actum canente, ea, quantum equidem sentio, ad Romanos pariter atque ad Graecos pertinent, ad ea Graecae comoediae tempora, quibus, sicuti dictum jam supra est, chorus cessaverat. Sed de Graecis, utpote de quibus largius rem tractare haec mea non interest, nonnisi paucissima infra addam. Nunc accuratius fusiusque de Romanis.

His autem chorum fuisse puta, Graecum, quemadmodum recentioribus quibusdam, ut Floegelio (Geschichte der com. Litterat. B. IV. p. 96, cf. Sulzer. libr. laud. tom. 1. p. 521.), placuisse video, tum Diomedes, de cujus loco diligentius infra disputabimus, diserte negat: „latinae comoediae „chorum non habent," tum ne minimum quidem apud ipsos comicos reperitur vestigium. Nam *grex* ille, sive *caterva* (quod vocabulum apud veteres de societate aliqua ejusque corpore rarissime dictum, ut de histrionibus Cic. pro Sext. 55, a Grammaticis hic illic in Manuscr. Plauti pro voc. *grex* scriptum exstat, ut in Capt. et Cistell., utr. ad finem) *grex* igitur sive *caterva* plerumque fuisse videtur nonnisi histrionum societas, qui, finita fabula, se spectatoribus tanquam porro commendaturi ad unum omnes prodibant.

dibant. Neque enim modo hac significatione utuntur vocabulo *grex* Plautus et Terent.; hic Heaut. prol. 45; Phorm. prol. 33; ille Casin. prol. 22; Asin. prol. 3; verum etiam Petronius Arbit. c. *XL.* in eleganti loco, ubi (equidem voc. *mimum* pro: histrionem, et singularem pro plural. numero dictum censeo) de comoedia ipsa loquitur, post finitam fabulam itidem nonnisi histriones semel adhuc in scenam prodire solitos tradit. Verba sunt haec:

Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur;
 Filius hic: nomen divitis ille tenet.
Mox, ubi ridendas inclusit pagina partes,
 Vera redit facies, assimulata perit.

Da zeigen sie sich nur als blofse Schauspieler noch einmal, ohne die Rolle, die sie hatten, fortzuspielen. *Nam haud dubie* personas quoque (Masken) tum deponere solebant. Est tamen locus in Plaut. Cistell. fin., ubi grex ad spectatores ita loquitur, ut pateat, non ipsos histriones, sed alios esse, puta, musicos et saltatores, quos item in fabulis Terent. et Plaut. necessarios fuisse, infra ostendam. Ecce locum:

Ne exspectetis, spectatores, dum illi (actores) huc ad vos exeant.
Nemo exibit: omnes intus conficient negotium.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent; postidea loci,
Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet. etc.

Sed ab uno tantum, tanquam a coryphaeo, versus hos extremos ad spectatores recitatos esse, vel inde patet, quod in libris nonnullis antiquis hic illic *recitatoris* simul mentionem esse videmus, ut in edit. quadam, qua usus est Taubmann., Argent. ad fin. Capt., Casin., Cistell., Epid., et Bacchid.

Cum igitur chori *) apud Latinos in com. non fuerint, inter actus, quorum locus quidem a Plauto et Terentio servatur, *tibicinem* auditum esse, diserte notat Donat., idque confirmat ipse Plautus Pseudol. 1, 5, 160.: *tibicen vos interea delectaverit.* Sed inprimis pertinet huc locus Diomed. Gramm. lib. 3 in comment.: *quid intersit inter com. et trag.*, quem locum ex Svetonii libro deperdito sive *de ludis et spectaculis*, sive *de poetis* repetiisse se ipse dicit. Locum paullo difficiliorem esse fateor, sed eundem gravem. Est hic: „Latinae vero comoediae chorum non habent, „sed duobus tantum membris constant, diverbio et can„tico. Primis autem temporibus, ut asserit Tarquinius, „omnia quae in scena versantur 4), in comoedia agebantur.

*) Horatius in art. poet. a vſ. 194 de *choro* nonnisi docet, qualis debeat esse etiam apud Romanos. Neque tamen inde sequitur, ejusmodi choros unquam apud ipsos fuisse.

4) Hic, ut ex sequenti lineola concludi debet, de pantomimo, de choraule et pythaule, sive de saltatione et musica cogitandum est. Ludi enim scenici erant nonnisi fabulae sive comicae sive tragicae sive satiricae, saltatio et musica.

„tur. Nam pantomimus et pythaules et choraules in „comoedia canebant 5). Sed quia 6) non poterant omnia „simul apud omnes artifices pariter excellere, si qui erant „inter actores comoediarum pro facultate et arte potiores, „principatum sibi artificii vindicabant. Sic factum est, ut, „nolentibus cedere mimis 7) in artificio suo ceteris, se„paratio fieret reliquorum. Nam dum potiores" (et musicorum et pantomimorum) „inferioribus" (sive pejoribus artificibus), „qui in omni ergasterio 8) erant, servire de„dignabantur, se ipsos a comoedia separaverunt: ac sic „factum est, ut, exemplo semel sumto, unusquisque artis „suae rem exequi coeperit, neque in comoediam venire. „Cujus rei 9) indicia produnt nobis antiquae comoediae" (ut Terentii, cf. didascal.), „in quibus invenimus: ACTA TI„BIIS

5) De pantomimo *canebant* dicitur per zeugma pro *ludebant*.

6) Hic magna est lectionis diversitas; equidem sequor editionem Sveton. Bipont. p. 417.

7) Vocab, *mimis* interpretor per *actoribus comoediarum*, qui saepe sic serioribus temporibus, ubi vigebat nomen *pantomimi*, vocabantur. Ceterum per tertium casum *mimis* accipio; *nolentibus - ceteris* (artificibus) per sextum.

8) In aliis libris legitur *magisterio*; neque id prorsus inepte, cum *magister* hic illic de duce numeros modosque musicos docente et praeeunte dicatur Colum. 12, 2. Utrumcunque placuerit, sensus est: *qui in unoquoque grege* (in jeder Schule) *sive histrionum, sive musicorum, sive pantomimorum erant.*

9) Choraulen etiam, ut supra dictum, et pythaulen atque pantomimum olim

„BIIS PARIBUS, AUT IMPARIBUS, AUT SARRANIS 1).

„Quan-

olim in scena fuisse. Aliter, sed male, hunc locum intellexisse videtur editor Sulzeri supra laud. tom. 1, p. 523, quasi, separationem hanc Terentii jam temporibus fuisse, his ipsis significetur verbis; immo post Terentium evenisse eam, inde patet. Ceterum si quid video, quae sequuntur inde a verbis: *cujus rei* etc., ea non ex Svetonio sumta sunt, sed ab ipso Diomede adjecta.

1) De quo tibiarum discrimine cum plurimam virorum disceptationem non meum sit dijudicare, haec tantum qualiacunque mea apponere licuerit: quae a Diomede in sequentibus satis barbaré dicuntur choraulicae et pythaulicae, eas utrasque fuisse aut dextras aut sinistras sive sarranas, aut pares aut impares. Dextrae, sinistrae, pares, impares per diversam foraminum multitudinem et per modum, quo teneri flarique eas oportebat, inter se discrepabant, prouti aut sono erant graviore (tiefer), aut acutiore (heller). Contra choraulicae, sive dextrae, sive sinistrae, sive pares, sive impares, per majorem soni fortitudinem et vehementiam (sie hatten einen stärkern Ton, sie mochten nun Baſs, Tenor, Discant seyn) distabant a pythaulicis, quae leniore et svaviore erant sono, ut optime ad eas voce cantari posset, praesertim si unus tantum, ad summum duo ad canticum simul canebant. Quae diversitas chor. et pyth. orta videtur tum ex tibiarum magnitudine, tum ex materia, unde erant factae, ejusque mixtura cf. Horat. Art. poet. 200, 203 et 216 et Bentlej. ibid. ad 202. Locus Hygini fab. 73 p. 198 edit. Scheffer. cum haud dubie corruptus sit, nil inde accuratius de discrimine pythaulae et choraulae disputaverim. Qualis nunc legitur, nonnisi docet, unde nomen *Pythaulae* sit derivandum. Ceterum de hoc vocabulo scripsisse reperio Turneb. Advers. 11, c. 25. Tota autem haec res hac mea ratione expedita facit ad bene explicandas Terentii didascalias pluresque locos, in quibus de chor. aut pyth. est sermo, ut Vopisc. Carin. 19, ubi plura disseruit Salmas. De tibiis legatur Both. in sua edit. Ter. p. 445.

„Quando enim chorus 2) canebat, choris tibiis, i. e. cho-„raulicis, artifex concinebat. In canticis autem Pythaulicis „responsabat.“ (Er accompagnirte dem Declamirenden; ut inter *responsabat* et *concinebat* nil fere sit discriminis, nisi de numero tibicinum.)

Secundum hunc igitur locum quando in comoediis agendis usus fuit tibiarum apud Latinos? Ut supra jam ex Donato et ex Plauto didicimus, inter singulos actus, qui separandi erant, si non per chorum Graecorum, per musicam certe sive tibicinem. Sed idem cantus audiebatur etiam in *canticis*. Quae qualia *hoc loco* intelligenda sint, idem Diom. in ead. disputatione paullo prius his verbis tradit: „diverbia sunt partes comoediarum, in „quibus diversorum“ (i. e. plurimorum, ut Cic. Phil. 3.) „per-„sonae versantur. Personae autem diverbiorum aut duae „aut tres, raro autem quatuor esse debent; ultra augere „nume-

2) Nisi prorsus mens mea me fallit, h. l. Diomedes explicaturus, unde voc. *choraulae* esset natum, minus curiose ad chorum respexit Graecorum, apud quos ortum hoc verbum transiit deinde ad Romanos, quamquam ipsi Graeco carebant choro. Eadem mente paullo prius usus est voc. *chorus*. Nam etsi concedam, de Romanorum quoque re comica hic illic voc. *chori* posse inveniri (cf. edit. Sulzer. jam laud. tom. I. p. 521; de re Roman. tragica *chorus* dicitur Phaedr. fab. 5, 7, 25) de grege artificum, qui inter actus et musica et saltando, ut infra docebimus, delectabant, nullo tamen modo de hac saltatione dici posset: *quando chorus canebat*. Ceterum hic Colum. 12, 2, laudari non posset, quippe qui non simpliciter de comoedia loquitur.

„numerum non licet. In canticis autem una tantum de- „bet esse persona, aut, si duae fuerint, ita debet esse, „ut ex occulto una audiat nec loquatur, sed secum, si opus fue- „rit, verba faciat". Nec minus huc facit locus Liv. 7, 2: „Livius „post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento „fabulam serere, (idem scilicet, id quod omnes tum erant, „suorum carminum actor) dicitur, quum saepius revocatus „vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante „tibicinem quum statuisset, *canticum* egisse aliquanto ma- „gis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat; „inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque „tantum ipsorum voci relicta." Cum Livii quoque Andro- nici tragici (ita dicere liceat, cum carmina ejus tragoediis similiora fuisse videantur, quam comoediis) *cantica* hic me- morentur, ex hoc Livii loco patet, cantica eorumque leges, de quibus modo dicam, etiam in tragoedia fuisse. Sed ut per- gamus, ex duobus illis locis Diom. et Liv. *cantica* in causa nostra nil aliud sunt, nisi, ut ita uno verbo dicere liceat, μονόλογοι, qui ad tibicinem, non choraulen, sed py- thaulen (de discrimine cf. not. 1, p. 14) ita recitabantur sive decantabantur, ut, pythaule canente, histrio nonnisi manuum corporisque motu canticorum sensum exprime- ret, voce alius verba efferret; qua in sola re Latini prorsus per se a Graecis discesserant. Itaque cantica ad ipsas co- moedias pertinent et fabularum sunt monologi (Selbstge- spräche) cf. Phaedr. fabul. 5, 7 ed. Bentlej.); ita ut modeste equidem dubitaverim, an stare possit sententia Boettigeri (cf. Both. Ter. p. 617), qui in prolusione supra laudata me-

diis

diis etiam in actibus inter scenas hic illic cantica inserta et ab actore principe ad tibicinem saltata esse contendit. Immo cum ne inter actus quidem tanquam extraneum additamentum ea inseri potuerint, sed ipsarum fabularum fuerint partes, monologi, multo minus inter scenas, ubi de temporis intervallo paullo longiori cogitandum sit, reperiri fingique possunt. Similiter, etsi parum clare, de eadem re disseruit Planck.: *in Ennii Medea etc.* p. 58. not. 1 his usus verbis: „haec enim" (cantica) „et a diverbiis distincta „et Graecorum ad similitudinem in fine actuum a choro „sive a tibicine, ut apud Romanos audit, decantata esse „tradit" (Donatus in Andr. Argum.). Parum recte. Oportet enim, si quid recte hic intellexi, in probando, quid in *hoc* loco voc. *canticum* notet, potissimum respici et Liv. 7, 2 et Diomed. (cf. Val. Max. 2, 4, 4 et Quintil. Instit. 1, 12, 14, sive tom. 1 p. 81 edit. Bipont. In eodem Quintil. 11, 3, 167, tom. 2, p. 328 sermo est de *cantico*, in quo ab uno eodemque et gestus fit et decantatur). Etsi bene idem scio, exstare et aliam significationem voc. *canticum*, puto, seriorem et ex nostra demum enatam, quae propius a Boettigeri et Planckii mente abest, immo unice illi Viro longe Celeberrimo in mente fuisse videtur. Notatur enim eo hic illic, nominatim apud Svetonium, nil aliud, quam pantomimica saltatio cum tibiarum cantu juncta, ut Svet. Calig. 54, fin. De locis autem scenarum, in quibus de intervallo longiori Boettigerus, Vir Summus, sollicitum sese ostendit, duplex videtur proferri posse sese expediendi ratio; primum si cogitamus, comicos veteres, inprimis Plautum, parum saepe verisimi-

litudinis legem curasse, et tum, quod sane ex mente ipsius Boettigeri scribere me patet, et in Heaut. 5, 2, fin. ipsum Chremetem fecisse credo, haud raro mimice sive, si cum serioribus Romanis dicere malis, pantomimice animi perturbationem expressam esse.

Et nunc etiam in titulis sive didascaliis Terentii, quarum vestigia ut nullibi apud Plautum exstent, inde factum judico, quod cura, ejusmodi adjuncta de prima fabularum editione notandi, post Plauti demum aetatem in usum venerit, in istis igitur titulis verba explicari possunt: *modos fecit Flaccus Claudi*, adde *libertus*, non *filius*, quod voc. nonnisi in titulo Andriae in multis libris adjectum legitur. Neque enim, ut alii jam monuerunt, gentis nomine, cum pater alicujus notandus erat, utebantur, neque civem Romanum Flaccum hunc fuisse credibile est, cum male apud Romanos audirent scenici. Interpretatio formulae istius fere esset: *Die Melodien (oder Weisen) dazu verfertigte, spielte und führte auf Flaccus, des Claudius Freygelasner.*

Sed ut in canticis porro subsistere liceat, non possum, quin memorabilem de iis adjiciam locum ex Donat. fragm. *de comoedia et tragoedia*, qui ita scriptus exstat: „Diverbia histriones pronunciabant. Cantica vero temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicae „factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico „agebantur, sed saepe mutatis; ut significant, qui „tres numeros in comoediis ponunt, qui 3) tres continent muta-

3) Hic fortasse latet vitium. Equidem nomen, nescio quod, excidisse judicaverim, quo exemplum aliquod laudabatur. Nisi malimus pron. *qui* ad voc. *numeros* referre: „qui" (numeri) „continent" (h. e. significant) etc.; quam interpretationem *Richterus*, Collega mihi amicissimus, officiose mecum communicavit.

„mutatos modos cantici illius. Qui hujusmodi modos fa„ciebant, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris „superponebant“ 4). Neque, nisi omnia me fallunt, numeri tantum modique, verum etiam tibiarum genera in canticis mutari potuerunt, prouti animi affectiones, quas nominatim in *canticis* i. e. monologis variare videmus, hunc vel illum rei musicae modum poscebant; unde dextrae et sinistrae simul tibiae memorantur in didasc. Andr. majori ex parte motoriae; etsi bene jam Bothius notavit, minus curiosos in tibiarum usu fuisse Romanos, ut in Heautont. *primum* (i. e. in prima editione) *impares*, *deinde* (i. e. in secunda, quae primam illico secuta videtur) *dextrae* adhibitae tradantur, cf. Donat. fragm. de com. et trag. fin. Utrum vero haec tibiarum mutatio etiam pertinuerit ad rem musicam, quae singulos intercedebat actus, id dijudicare, facilius erit deinde. Hoc statim, ne quid omittere videar, adjicere liceat, me judice in cantu musico,

---

4) Postremis lineolis inest vitium; fortasse ita legendum: „qui hujus„modi modos faciebant, iis nomen in principio fabulae“ (in didasc.) „et scriptoris et actoris superponebatur“ i. e. anteponebatur (den Namen derselben wurde der Name des Dichters und des Acteurs vorweg gesetzt). In verbis autem apud Don. subsequentibus: „hujusmodi adeo „carmina ad tibias fiebant, ut, his auditis, multi ex populo ante disce„rent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatori„bus ipsis antecedens titulus pronunciaretur,“ cantica confusa sunt cum modis musicis ad cantica pertinentibus, quos etiam per se sine monologis ipsis ante fabularum initium interdum auditos esse, inde discimus. Quae negligentia orta esse videtur ex ambiguitate voc. *canticum*.

qui erat inter actus, plurium tibiarum fuisse concentum, artifice gregem musicorum dirigente et moderante; sed in canticis ab uno tibicine, ipso, puto, artifice, ad summum a duobus actoris vocem esse temperatam.

Transeamus nunc ad *pantomimum*, quem cum choraule et pythaule simul in vetere Latinorum comoedia lusisse, testatur Sueton. Qui pantomimus qualis fuerit et quomodo a *mimo* differat, cum fusius id docere, non hujus sit loci, paucissimis modo verbis rem absolvere conabor. *Pantomimi* sunt artifices, qui nonnisi muta saltatione et gesticulando argumenta cum mythologica tum tragica effingere noverant; *mimi* autem, qui, quamquam et ipsi a saltatione et gesticulando haud alieni, plura tamen recitando et voce mores hominum ridicule ante oculos ponebant. Volunt pantomimum (nam et *ludi* ipsi sic vocantur) imperii demum Romani principio non inventum esse, sed in comoedia fabulisque ortum inde in ludos plane singulares abiisse. Quae sententia caute accipi debet, neque concedi potest, nisi hoc: Augusti tempore hanc artem ipsius fortasse Octaviani et amicorum opera esse excultam, in deliciis hinc fere unice exstitisse Romanis, accuratam ei a mimica separationem simulque peculiarem *pantomimi* contigisse titulum, jamque ad solius fere tragoediae et ad mythologiae argumenta τραγικώτερα se applicasse 5). Sed jam antea ho-

5) Pylades (Saturn. Macrob. 2, 7) primus nomen pantomimi usurpasse videtur; Svidas autem in voc. Ἀθηνόδωρος dicit, libera et stante republi-

horum pantomimorum principia et elementa in tota veterum ὀρχήσει et saltatione adfuisse, quis est, qui id neget rerum antiquarum haud plane ignarus? cf. Lucian. de saltat. §. 34, et Boettiger. quat. aetat. rei scen. p. 17. Quod autem haud raro apud veteres factum invenimus, ut, quae res serius demum magis exculta peculiare accepit nomen, ea jam ante nominis originem hoc notetur titulo, id etiam in nostra evenit causa: *pantomimum* in Latinorum comoediis jam multo ante Augustum reperit Svetonius. Intellige hic saltationem, quae quamquam satis ridicula et jocosa similior tamen erat pantomimicae artis sub Augusto egregie excultae. Legantur, quae de mimis Romanor. scripsit Ziegler. Goetting. 1780, 8; qui liber, pariter atque nonnulli alii hujusmodi libelli, quo minus Lipsia ad petentem me mitteretur, bellici impediverunt tumultus. *) Adde editorem Sulzeri, neue verm. zweite Aufl. etc. t. 1, p. 523, quem Virum in pluribus mecum consentire, impense laetatus sum.

Sed

---

blica nullum pantomimorum nomen, nedum officium fuisse. De nomine potissimum et peculiari pantomimorum ludo verba fecit Lexicographus. Hinc patet, ante Augustum voc. *mimus* latius etiam de pantom. esse adhibitum.

*) Sentio, in reprehensiones hic me incursurum esse. Dicent: at cur scripsisti de rebus, de quibus necessarii tibi deerant libri? Sed cum Bellona, Musis de litterarum exilio admodum dolentibus, per plurimum jam tempus saevierit, semper, quidquid tractandum sumsissem, defuisset mihi facultas libros accersendi, quos necessarios esse, saepe nonnisi diligentior rerum tractatio edocet. Patria ipsa librorum non est dives.

Sed ista saltatio in vetere Romanorum comoedia ubi locum habuerit, non est, quod diu haesitemus. Nullo alio loco etiam haec adhibebatur, nisi *inter actus*. Neque enim soli delectabant inter actum et actum tibicines, sed cum iis simul pantomimi quoque sive saltatores, ita ut plerumque alteri alteros juvarent; neque pantomimos certe unquam sine musicis modis saltasse puto, utpote cum saltatio sine re musica apud veteres quoque ne ulla quidem fuerit; tibicines autem nonnisi interdum soli cecinisse videntur. At, qui factum est, ut, cum musicae artifex in Terent. didascaliis sit memoratus, pantomimorum nulla ibidem exstiterit mentio? Primum attendi debet, cum pantomimorum negotia in comoediis, si accurate rem spectamus, non tanquam singulares partes ad fabulas ipsas pertineant, sed, ut ita dicam, extrinsecus modo ad intervalla inter actus explenda accesserint, eorum mentionem in titulis fuisse minus necessariam, ac tibicinum, quorum modi et numeri in ipsa comoedia ad cantica sive monologos canebantur. Deinde nescio an in didascaliis etiam hujus saltationis quaedam sit mentio. Mirum enim est, quod plerumque *duo* egisse traduntur: in Andr., Eunuch. et Phorm. itemque ex nonnullis libris in Heautont. Ambivius Turpio et L. Atilius Praenestinus, et tantum in Hecyra atque secundum partem quidem librorum in Heautont. quoque solus Ambivius. Quoad significationem voc. *agere*, quod in universum notat *aufführen* et de omnibus ludis scenicis, de mimis etiam et pantomimis haud raro, legitur, persvasum mihi habeo, veram esse sententiam Bothii in ejus ed. Ter. p. 618, eum *agere* hic

dici,

dici, qui suorum ludiorum sive gregis operam conductoribus (cf. Plaut. Asinar. prol. 3 ibique Gruter.) locaverit et ab his conductus *per se suumque gregem* fabulam det sive *agat*; neque hinc probo Boettigerum, qui hanc actionem (in didasc. *egerunt*) nonnisi in canticis saltandis positam fuisse judicat. Quamquam et Bothius non satis sibi constitisse videri possit; nam ad Andr. 951, p. 474 haec habet: „actores in hac Andria „primarum et secundarum partium Ambivius et Atilius „erant; tertiarum partium, utpote ignobilis, nusquam „memoratur"; quasi ea modo de causa in didasc. Ambivii et Atilii fiat mentio, quod primas et secundas sustinuerint partes. Rem ipsam de primis quidem partibus a vero haud alienam esse judicaverim.

Sed, ut redeam, cur *duo* plerumque referuntur egisse? Ut breviter dicam, equidem alteri id potissimum fuisse puto negotium, ut pantomimum ageret inter actum et actum, ipsis actoribus interea quiescentibus (leg. Vitruv. lib. 5 praefat.; licet ibi quoad rem de Graecorum choro sit sermo). Scio quidem, afferri hic posse, etiam *duos* necessarios cogitari posse greges, quod unus non suffecerit; id quod ex parte concedere possum. Qui enim pantomimum agere poterat, idem sane histrioniam quoque facere sciebat, et versa vice; ut per se nihil impediverit, quo minus Ambivii grex in agendo hic illic sublevaretur per familiam Atilii, qui ipse secundum didascaliam histrioniam facit in Adelphis, cf. Plaut. Men. prol. 74. At simul ambos ex pari et communiter nil nisi actionem suscepisse, id quo minus

minus credatur, in ipsa re sunt impedimenta. Nam ut nil dicam, numerum personarum minime, neque in Ter. neque in Pl., justo ampliorem esse, valde inter sese aemuli et obtrectatores erant ipsi gregum magistri (cf. Heaut. prol. 44 et 45), ita ut sine dubio sufficientem semper instructum sibi quisque haberet gregem, quemcunque alium admittere fastidiens. In animum igitur induxi, alterum eorum, qui in didasc. *agere* traduntur, potissimum saltatione fuisse occupatum, ita tamen, ut ipsius quoque grex hic illic in fabulis ab agendo non esset alienus. Neque enim est, cur censeamus, in *comoediis* semper ab uno tantum pantomimum hunc esse saltatum; id quod nonnisi in splendidiore hujus artis aetate, ac ne in hac quidem semper et ubique, locum habuisse videtur.

Qualis vero fuerit horum pantomimorum saltatio, id accuratius jam explicare, non erit difficile. Fuit, quamquam, ut supra jam attigi, similis, tamen non eadem cum pantomimica arte, quae tantopere sola per se Augusti et sequentium imperatorum aetate a Romanorum vulgo amabatur, non tragici, ut illa posterior, sed comici argumenti (cf. Rosini antiquit. Roman. libr. 5 ad cap. 5 paralipomena) et quam proxime accommodata ad eam actionis partem, quae modo et fuerat, et futura erat in fabula, quae tum dabatur 6);
unde

*) De eadem re commentatus est Planck. in libr. jam laudato p. 23, not. 6. Quo quidem in loco ut plura bene disputata reperio, ita de nonnullis Viri Doctissimi sententiis mihi persuadere nequeo. In universum optandum sit, ut hic libellus clarius minusque perplexe scriptus esset.

unde concludo, pro varia, quae in actione erat, animorum affectione tibiarum quoque modos et genera haud dubie variasse. Similiter aliquando eundem pantomimicae saltationis usum fuisse reperimus apud Britannos, cf. Blankenburg. edit. Sulzer. Allg. Theor. d. sch. K. neue verm. 2 Aufl. t. 5 p. 571 et: über dramatische Kunst und Litteratur, Vorlesungen von A. W. Schlegel. Quae profecto res sicut omnino nostra admiratione esset digna, ita a Graeci chori natura pariter atque a prima origine, quam apud *Rom.* res dramatica habuit (cf. Liv. 7,2), proxime abesset. Etsi concedendum simul est, praeter hanc, ut cum Cassiodor lib. 1 Variar. dicam, mutam musicam interdum vocis quoque cantum, quin adeo solos jocos et dicteria inter actus intercessisse. Nam primum ante Augusti quidem tempora voc. *mimus* promiscue legitur: neque praeter usum deinde fuisse videmus, orationem quoque, puta, ad pythaulen decantandam et verba inter actum et actum ad spectatores facere, id quod pluries alio tempore ex Plauto docebitur, ut ex Curcul. 4. 1.

At, ut porro rem persequamur, hanc saltationem serius a comoedia discessisse, idem Diomedes tradit, ita loquens: „sic factum est, ut unusquisque" (et pantom. et chor. et pythaul.) „artis suae rem exequi coeperit, neque „in comoediam venire." Qui quidem a comoedia abitus, puta pantom., chor. et pythaulae, quando evenerit, ita ut, quomodo Evanthius dicit, ne locum quidem et vestigia Graeci chori relinquerent comici, de eo diversa probari video. Editor *Sulzeri* tom. 1. p. 523 putat, separationem

nem hanc factam esse jam ante Terentium; sed *Ziegler.* de mimis Romanorum p. 11 (cf. Planck. lib. laud. p. 59) haud longe ante Caesaris tempora. Idque multo melius. Egomet ipse, ut meum judicium adjicere liceat, haud multo post Terentii aetatem contigisse eam existimaverim; quod patere videtur partim ex eo, quod et Plautus et Terentius actus bene adhuc servatos habet, partim quod Diomedes in loco laud. ad sententiam, primis temporibus et pantomimum et choraulen et pythaulen in Rom. comoedia fuisse, lectoribus probandam Terentii laudat didascalias, quippe in quibus hujus rei adhuc sint indicia, partim quod sane jam apud Terentium vestigia reperiuntur quaedam, pessum ruere meliorem rei comicae formam habitumque et valde ab insulso vulgo corrumpi. In Hecyra enim prol. alt. vss. 25 et 26 narrat prologus, ea de causa primum hanc fabulam non stetisse, quod spectatores turbulentius exspectaverint *pugiles* et *funambulum inter actus*, opinor, lusuros. Nam ita equidem hunc locum interpretor, de prol. prioris vs. 4 deinde loquar. Eadem de re acerbe conqueritur Horat. epist. 2, 1, 182—186. Et tum denique tempori male, puto, inserviens ipse poeta Terentius, ut alias paullo fusius ostendam, in Andr. 2, 1 et 3, 1 actuum intervalla non servavit sed confudit. Quam negligentiam comicos Terentium excipientes *) ita imitatos esse statuo, ut et ipsi aut plane nihil

---

*) De multitudine comoediarum apud Romanos legatur Meierotto *über Sitten und Lebensart der Römer*, Berlin 1776, 8. tom. 1 p. 107 et 108; ibidem p. 109 docetur, Macrobii temporibus adhuc fabulas optimorum poetarum esse datas, qui locus supra omissus est p. 6 in nota

nihil curantes, quando vacua existeret scena, uno tenore per multam fabulam praesentes in scena esse sinerent personas, aut, si quando vacua fieret, qualiacunque ἀλλότρια, modo ridicularia essent et jocularia, sine ordine omnique arte et elegantia interponi paterentur. Licet concedi debeat, tum quoque cantum musicum, fortasse fidium quoque, et saltationem aliquam in comoediis, etiam ante et post ipsam earum actionem, adhibitam fuisse (cf. Don. de com. et tragoed. sub fin. et signific. vocab. εἰσόδιον et ἐξόδιον, uti de hoc scribit Suidas et Pollux lib. 4); sed pejores hi erant, si quid intelligo, minusque legitimi artifices, quam qui ante fuerant pantomimus, choraules et pythaules. Quin nescio, an ratio quoque, qua olim cantica sive monologi ab alio recitari, ab alio mimice exprimi, ab alio per tibiarum cantum temperari solebant, *seriori hoc* comoediae Rom. tempore interciderit. Suspicio certe movetur ex pluribus, qui inveniuntur, locis, ubi cantica ab uno tantum et recitari et gesticulando exprimi videntur (cf. de signif. voc. cantic. Du Bos Reflexions critiques sur la poesie et sur la peinture t. 3 p. 174, et Sveton. Cal. 54, ubi Caligula tragoedo pronuntianti concinuisse dicitur). Quae cum ita sint, quid mirum, quod veteres, e. g. Cicero, raram de re comica injecerunt mentionem? Pudebat ludorum, qui haud parum depravati ad inelegantem vulgi sensum edi tunc coepti erant. Nec vero denique opinari debemus, ex sola comoedia post separatioem istam artem pantomimicam esse ortam; id enim si crederetur, sane haud longe ante Caesarem, ut Ziegler. vult, istum discessum evenisse oporteret. Immo ex tota

'ορχήσει ars ista Romanorum serius originem traxit, ut bene discimus ex pluribus locis Luciani de saltat.

De extraneis autem, ut ita dicam, partibus fabularum Rom., sive sint trag. sive com., tria potissimum inveniuntur vocabula, *isodium*, *embolon*, sive rectius *embolium* et *exodium*. *Isodion* sive εἴσοδος fuit, quidquid ante fabulae agendae initium ludebatur. Plerumque, nominatim priori aetate, a musicis haec isodia facta, neque ab ullo comoediae Rom. tempore aliena fuisse videntur (cf. Donat. de com. et trag. fin. et Pollux. Onomast. lib. 14, c. 15). 7) Sed *embolium* seriori demum tempore, h. e. post Terentium, fuisse statuerim, quidquid mediis in fabulis inseri solebat, sive ad saltationem, sive ad musicam, sive ad jocos et dicteria pertineret; unde apud Plinium histor. nat. lib. 7 cap. 49 Galeria Copiola quaedam audit *Emboliaria*, cujus operam in ejusmodi *emboliis* versatam esse judicetur.! Licet haud negem, per propriam significationem etiam de priori illa, quae elegantior erat, saltatione et tibiarum cantu, de pantom. et choraule, potuisse adhiberi voc. ἐμβόλιον, utpote quo in universum notatur, quodcunque vilioris pretii causa nonnisi interponitur, cf. Cic. Fr. 2, 1; ut mirer, de obsceno sensu cogitasse nonnullos in Cic. Sext.

54,

7) Ex eadem ante fabularum initium *isodia* sed prorsus aliena admittendi consuetudine satis jam perversa et corrupta explicari debet Ter. Hec. prol. pr. vs. 4, ubi *funambulus* ante ipsam actionem ita artem suam spectatoribus probavit, ut prae *funambuli exspectatione* (cf. prol. alt. 26) inquieti fabulam ipsam respuant. Et ita saepius jam tum temporis factum esse videtur apud Romanos.

54, cf. Scheller. Lexicon et Ernest. Clav. Ciceron, sub vocab. *embolium*.

De *exodio* frequentissime apud veteres fit sermo, in Polluc. lib. 4, Plutarch. Crafs. 33, Juvenal. Satyr. 3, 175 et 6, 171, Sveton. Tiber. 45, Domit. 10. Secundum scholiasten Juven. 3, 175 exodia ad tragoediarum potissimum finem, tristitiae pellendae causa, in usu fuisse statui posset. Attamen aliis e locis *exodia* in universum fabularum exitus esse videntur. Apud Scholiasten verba sunt haec: „*Exodiarius* apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lachrymarum atque tristitiae coegissent ex *tragicis* affectibus, hujus spectaculi risus detergeret.“ Fuisse videntur carmina, quae a nobis dicerentur: niedrige Possen und Farcen 8). Quam meam sententiam a vero non esse alienam, patet ex *Livio*, qui memorabiliter de his exodiis disserit in loco pluries jam a nobis laudato, cujus partem posteriorem hic adscribere liceat: „Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto joco „res avocabatur, et ludus in artem paullatim verterat; ju„ventus, histrionibus fabellarum“ (nonne *fabularum?*) „actu „relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versi„bus“ (in Verse gebracht; de verbo: in Verse gefügt) „jactitare coepit: quae inde exodia postea appellata conser„taque potissimum Atellanis sunt“ (sie sind vorzüglich mit den kleinen dramatichen Stücken, die man Atellanen nennt,

---

8) De *re musica* cogitasse videtur Svidas, ubi *νόμους ἐξοδίους* interpretatur.

nennt; vereint und verbunden worden i. e. conserta). „Quod genus ludorum" (Atell.) „ab Oscis acceptum te„nuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo „institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu mo„veantur, et stipendia, tanquam expertes artis ludicrae, „faciant." Hinc patet, Atellanas fabellas ad finem fabularum 9) esse editas, ibique lusisse ipsam nobilem ingenuamque Romanorum juventutem, cf. Handbuch der röm. Alterth. von Al. Adam, übers. von Meyer etc. edit. sec. tom. 2, p. 46 et Planck. Q. Ennii Medea etc. p. 61. Sed etiam sunt, qui in mediis fabulis pariter Atellanam hanc 1) insertam esse contendunt, qua de re laudatum invenio Scaligerum ad Manil. Astron. 5, 145.

De *scabillis* nunc disserere, eo libentius omitto, cum non modo libelli ratio brevitatem quam maxime efflagitet, verum etiam multo doctius, quam ipse valerem, de iis scripsit Boettiger. prolus. altera: *quid sit, docere fabulam* etc. Vimar. 1796, 4, p. 6 et 7 not. Non addo nisi, quae ab Ernest. Clav. Cicer. de iis sunt disputata, ea non sufficere; *scabillo-*

9) Nec tamen negari potest, apud Liv. quoque inprimis de *tragoedia* esse cogitandum. Nam Livius Andronicus ipse fuit non comicus sed tragoedus; saltem carmina ipsius, quamquam satis adhuc rudia et incompta, propius ad tragoedias accessisse docetur.

1) Hic saltem appellatio *exodiorum* usurpari non potest, ut a quibusdam negligentius scribi video. *Atellanae hic* erant *embolia*, non *exodia* sive exitus.

billorum deinde figuram, quam Boettiger. docet, disci etiam posse per effigiem in libro *Balduini: Calceus antiquus et mysticus etc. cum fig. et observ. Nilant. Lugd. Bat.* 1711, et denique eadem horum scabillorum concrepitatione significatum esse, *quando* tibiarum cantus incipiendus esset, cf. Cic. pro Coel. c. 27, § 65: „Mimi ergo est jam exitus, non fabulae: in quo cum clau-„sula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde *scabilla* „*concrepant*, *aulaeum tollitur*.“ Jul. Polluc. 7, 87: τὰ δὲ κρουπέζια ξύλινον ὑπόδημα πεποιημένον εἰς ἐνδόσιμον χορῷ.

Quomodo autem inter se differant *aulaeum* et *siparium*, sive *siparia* pl., id dicere, fateor, est paullo difficilius. Ut paucissimis rem absolvam, equidem puto, *aulaeum* antiquissimis rei scenicae Rom. temporibus tum in tragoedia tum in comoedia exstitisse commune, ita ut demitteretur et tolleretur non modo ab initio et fine fabularum, verum actibus etiam singulis finitis denuoque incipientibus. Sed cum *aulaei* hujus grandioris, quod saepe sic debebat moveri, commutatio nonnisi difficilius molestiusque per machinationem, quam *exostram* vocatam esse volunt (vid. Turneb. ad Cicer. Provinc. c. 6, extr.), fieri posset, invenerunt Romani, opinor, jam ante Terentii aetatem *siparium*, velum minutius, quod inter singulos actus in comoedia semper, in tragoedia certe plerumque, et insuper in omni leviore fabella, quae vel post vel ante fabulam majorem sive trag. sive com. edebatur, *minori* labore demitti tollique poterat. Hinc ambo semper erant in scena, et aulaeum et siparium, atque ambo simul ineunte fabula demitti, eademque

acta

acta tolli debebant; actus autem singuli quotiescunque finiebantur, nonnisi per *siparium* sublatum scena spectatorum oculis subducebatur, ut occulte interim res necessariae peragi possent; unde apud Cic. Prov. Cons. c. 6 *post siparium* idem est, atque *clam*. Neque a vero hanc meam sententiam prorsus aberrare, patet partim ex locis, quos de ea re modo sum laudaturus, partim ex difficultatibus nonnullis, quae sic demum optime removeri possunt. Mirari enim nos oportet, qui fiat, ut, quotiescunque *aulaeum* dicitur tolli, semper fere nonnisi de fabula *prorsus* finita cogitari debeat; et ut *siparii* minus honorifica hic illic fiat commemoratio; e. g. Juvenal. 8. 185 et 186:

Consumtis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario (i. e. vilioribus fabellis), clamosum ageres ut
Phasma Catulli.

et apud Senec. de tranquill. anim. c. 11: „inter multa alia „cothurno, non tantum *sipario*“ (vilioribus fabellis), „fortiora.“ Quoad locos autem, quibus meam tuear sententiam, duo extant satis memorabiles apud Apulejum Metam. lib. 10 post med. pag. 253, 23 Elmenh., in edit. Lugdun. 1604, 8 pag. 950: „aulaeo subducto et complicitis *sipariis* scena disponitur.“ Nam ibi ludi in eo sunt, ut spectatoribus proponantur. Adde locum Metam. 1 ante med. 106, 4 Elmenh., in edit. Lugd. p. 60: „Oro „te, inquam, aulaeum tragicum dimoveto, et *siparium* scenicum complicato, et cedo verbis communibus.“ Sensus est: „peto abs te, ut, remoto sermone hoc sublimiore et „dramatico, orationi magis familiari te accommodes.“ *Scenicum*, i. e. ad scenam pertinens, nominatur h. l. *siparium* haud

haud dubie ea de causa, ut ab aliis *sipariorum* generibus discernatur, cf. Isidor. orig. lib. 19, c. 3, *de velis.* Inprimis autem a mea sententia stat locus apud Donat., *fragm. de comoed. et tragoed. fin.* Legitur is hunc in modum: „Au- „laea quoque in scena intexta sternuntur (??), quod pictus „ornatus erat, ex Attalica regia Romam usque perlatus: „pro quibus *siparia aetas posterior* accepit. Est autem *mi-* „*micum* 2) velum, quod populo obsistit, dum *fabularum actus* „*commutantur.*“ Ceterum ex iis, quae hucusque disserui de *sipario*, sequitur, falso judicare tum eos, qui inter *aulaeum* et *siparium* nil discriminis esse jubent, tum, qui peculiariter *aulaeum* tragoediae, *siparium* comoediae tribuunt.

Sed tempus est, ut, omnibus his rebus pro viribus a me dijudicatis, brevi ἀνακεφαλαιώσει repetamus, quae in hoc libello, cujus finis jam instat, probatum ivimus. Didicimus autem potissimum ex grammaticis: cum Graecus chorus in Romanorum re comica nunquam fuerit, antiquiori Romanae comoediae tempore, cujus Terentius adhuc sit, inter singulos actus cantum *choraulae* et saltationem *pantomimi*, ut ita dicam, *comici* adhibitam esse; sed in hujus saltat. locum interdum, etsi rarius, successisse dicteria sive ridicularia, quae propius abfuissent a *mimis*, qui vocati sunt sub Augusti aetatem; neque tamen de isto discrimine inter *pantomimum* et *mimum*, quod intercedebat Augusti tempo-

2) Ita legitur secundum Festum: „*siparium* genus veli mimicum“, et secundum lacinias *Verrii*, cf. auctores lat. ling. per Gothofred. p. 217, lin. 49, pro *minutum*, quod vulgo scribitur. Quae lectio si vera est, hic locus jam supra potuisset laudari ad probandum, mimorum ludum exstitisse inter actum et actum.

ribus, accuratius tum esse cogitatum. Alios porro musicos, *pythaulas* dico, concinuisse *canticis*, sive monologis fabularum. Verum deinde post Terentii demum tempora per obtrectationem et invidiam, qua ab histrionibus illi musici et pantomimi infestati essent, artifices hos, pantomimos dico choraulas et pythaulas, a comoedia recessisse et dehinc intercapedines in comoedia inter actus aut plane non servari coeptas esse, aut ἀλλότρια quaecunque intercessisse, ut hinc magis magisque corruptum esset ingenium plebis Romanae et studium spectacula videndi. Ipsum denique voc. *chori* hic illic apud Romanos quoque, sed solis de tibicinibus et saltatoribus, dici.

Jamque, uti promisi, de Graecis quoque nonnulla essent dicenda. At cum jamdudum libellus excesserit modum, his modo paucissimis sententiam meam qualemcunque proferre sit licitum. Persuasum enim mihi habeo, apud hos quoque, postquam *chori* usus cessaverat, in comoedia cantum *musicum* (αὐλητὴν) et *saltationem* inter actus intercessisse; id quod, licet ex locis idoneis probare nunc recusem, satis tamen concludi posse judico ex anxietate Romanorum, qua fere nil nisi Graecorum auctoritate freti cum in artibus, tum in re scenica instituere audebant, et deinde ex ipsis locis et Donati, qui *chorum* et *tibicinem* arctissime inter se jungit, quasi alter alterum jam apud Graecos exceperit, et Evanthii, qui Menandrum *choro* abstinuisse refert, sed ita, ut *ejus locum reliquerit.* Ceterum aliter de eadem re loquitur Vir longe Doctissimus, Eichstaedt.: de comicosatyr. etc. p. 72 et 73.

Ita-

Itaque sisto orationem alio tempore scripturus *de ipsa comoediarum divisione in actus apud Plautum et Terentium* simulque *de scenarum ratione.* Restat, ut Vos, Patres Amplissimi, Sacrorum Ministri plurimum Reverendi, atque omnium ordinum omnes, qui scholae nostrae favetis, nomine Collegarum invitem ad audienda examina, quae crastino die hora nona a nobis sunt instituenda. Non est, quod pluribus Vestram praesentiam atque audientiam exorem. Vos nimirum scitis ad unum omnes, quid sibi velit schola, verum reipublicae decus columenque et unicum adminiculum solidae salutis, qua, modo ubique sana atque sapiens educatio accedat a parentibus, cum in praesenti, tum, id quod gravius est, in postero tempore civitas gaudere potest. Ita valete rebusque nostris, ut hactenus, sic et in posterum perpetuo precamur faveatis.

Emendanda et addenda.

Pag. 9 lin. 3 lege *Micio* pro *Mitio.* — Pag. 16 lin. 19 et 20 in voc. *pythaulen* perversa est syll. distinctio. Distingue *pyth - aulen* — Pag. 22 lin. 22 post *Praenestinus* haec omissa sunt: *in Adelph. L. Attilius Praenestinus et Minutius Prothymus,* . — Pag. 23 lin. 7 inter *haec* et *habet* interponantur verba: *ex Bentlej. ad Terent. Andr. 5, 6, 17;* qua quidem re monita excusari posse patet Virum Doctissimum, Bothium. — Pag. 23 lin. 13 post *judicaverim* addatur: *cf. Donat. ad Terent. Phorm. 2, 2, 1.* — Pag. 30 lin. 9 de nomine *Meyer* monendum est, in priori edit. scribi *Mayer*, in post. *Meyer.*

Deni-

Denique p. [illegible] lin. 12 ultimum Petronii versum ab aliis bene scio etiam ita explicari, ut nonnisi cogitent de histrionibus post fabulae actionem a theatro domum discedentibus. At etiamnum asserere haud dubito, minus elegantem hanc mihi videri interpretationem. Neque curo, quod apud Ter. nunquam, uti apud Plaut., in fabularum fine *grex* prodeat, sed simpliciter finiatur per *plaudite*, vel *vos valete et plaudite;* utpote cum ne constet quidem inter viros doctos, *a quibus* hae clausulae sint pronunciatae, cf. Petit., Bentlej. et Dacier. ad Andr. 5, 6, 17, et Brison. ad Phorm. 5, 8, 66. In Plauto saltem, apud quem eadem clausularum brevitas saepe reperitur, hic illic non potest non *histrio*, qui ultima fabulae verba facit, eas pronunciare, ut in Pseudol.